

De quibus expressè dicitur, eos non intelligere, nedum credere, ut scribitur, Matth. 13. 19. Mar. 4. 15. Luc. 8. 12.

XXXIV.

Hi similimi sunt eorum, de quibus 2 Cor. 4. 3. est scriptum: *Quod si tectum est Evangelium nostrum, iis, qui pereunt, tectum est; quorum Deus huius seculi excacavit oculos, infidelium, ne irradiet eos Lumen Evangelii gloriae Christi, qui est Imago DEI.* Differunt tantum cære, quòd his, de quibus Apostolus loquitur, Evangelium ita tectum esse potuit, ut eis non sit annunciatum; at iis, de quibus Christus sentit, Evangelium est annunciatum, licet non intellectum: vocabulo Cordis, pro intellectu, latiore significato hinc accepto.

XXXV.

Istis accensendi sunt, qui sermonem Regni non modò non intelligunt, sed nec intelligere volunt, ne cogantur benefacere. Psalm. 36. v. 4. Hæc verò spontanea ac ultrò accersita, non tam ignorantia, quàm ignorantia est; quæ pervicacia sibi ipsis ponentium obicem, ne irradiet eos fulgor Evangelii, quantò est major, tantò gravius auferent Judicium.

XXXVI.

Nec ab his absunt, qui ex prava diathesi confirmatæ ignorantia resistunt Spiritui Sancto, quantumvis per Verbum Evangelii ipsis loquenti, & ut sunt duri cervice, & incircumcisi corde, etiam aures suas, more aspidum, occludunt adversus præconium veritatis: imò ut sinistro ardente zelo, in Sanctos DEI irruunt, eosque occidunt, putantes se cultum præstare DEO. Acto. 7. 51. 57. Johan. 16. 2.

XXXVII.

Quod si Zelotæ hi notam haberent veritatẽ, & odio ferrentur spontaneo in eam, ac falsitatem contra conscientiam defenderent, traditi in mentem reprobam, (non enim de omnibus pronunciari hoc debet,) sine dubio peccarent in Spiritum, pro quibus orandum non esset: nunc exemplo Pauli (ad cuius pedes deposuerunt pallia lapidantes Stephanum, qui & ipse in necem ejus consenserat) plerique nescientes id fecerunt: Idcirco Protomartyr Ecclesiæ, intuitus in Dominum JESUM, Ducem & Perfectorem Fidei, ad ejus exemplum, tanquam pro peccantibus in Filium Hominis, magnâ voce clamavit: *Domine, ne statuas eis peccatum hoc.* Acto. 7. 60.

Aliter